



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Osnaburgenses tum rem habuere cum comite vicino de Tekeneborg. Cumq; rem verbis transigere non possent, quod ciues ab eo contemnerentur, quando episcopus conquiesceret. Sed vbi ad arma ventum est, auxilio illis fuere ciues Monasterienses: perpuleruntque comitem in eas rerum angustias, obsessa arce Lingen, quam etiam de proximo capturi videbantur, ut ad placita & tractatum disceptaturos veniretur: In quibus ita armis edomitus videbatur, ut in aquas cum illis condiciones descenderet: positoque nobilitatis fastu, ciues in suo iure & gradu recognosceret, sineretq; persui vetustis, & longa consuetudine probatis, libertatibus. Quo tempore memorabilis exequutio facta est iustitia, ex sententia principum, & omnis Saxonia nobilitatis: Constituerunt, ut paulo ante diximus, Saxonia principes, iurarentq; pacem, quam Theodericus de Zwerningrode comes violasse diceretur. Quocirca vocatus a quibusdam eorum, qui exequutionis mandatum a ceteris haberent, Alberto de Querforde comite, archiepiscopo Magdeburgensi, Ottone duce de Leina, Henrico de Honsten comite, ceterisque comitibus & nobilibus, accusante Bussone de Regensten comite, suspendio condennatus est. Sententia dicta, euocarunt sex militibus eius quendam, quem praecepto adegerunt, ut primum capiti eius vulnus infligeret. Paruit ille, sub honore suo admonitus: mox circumstantes, gladijs eum suis confixerunt. Inde freno equi sui alligatum, suspendio finisse volebant interpretari. Eam mortem, ut fit, vbi in fabulas res venit, alij culpis eius, alij, quod coniurationi nollet consentire, deputarunt. Hoc etiam LXXXVI. post mille trecentos anno, Lupoldus dux Austriae, Zwiceros, quos alij dixerent

dixere Zvitienses, olim dictos Heluetios, quod arces
 pridem illis impignoratas, ad redemptionem reddere
 duci detrectabant, bello inuasit. Populus ad arma natus,
 ipsis suis in montibus induruit. Ausi aciem opponere ve-
 nienti, exiêre obuiam viri tria millia. Hos exceptos in
 planis dux fatigauit: multisq; ex ipsis cesis, ceteri pe-
 dem retrò ferre videbantur. Aderat in montibus agmen
 triginta millium, qui facta extensione, agmen ducis in-
 cluserunt, & circulo circunseptos, omniquaq; aggredi-
 untur. Cesus est dux cum omni agmine, decem & octo
 insignioris nobilitatis viri, pauci supererant capti. Hac
 secunda Australium penè omnium nobilium cades. Nam
 primam Vngari fecêre, anno Christi M CC XLVI. Sed
 hoc tempore Bernhardus dux Brunswiccensis, cum re-
 bellionem, vt solent, ostenderent militares de Steenber-
 ge, ecclesia Hildesemensi parentes, ad arma peruenit.
 Ausi concurrere duci, in acie manus conserunt: & for-
 tuna illis plaudente, etiam repugnantem victores du-
 cem capiunt: abductumq; tam diu habuêre vinctum,
 donè septem aureorum millibus suam redimeret ab illis
 libertatem. Quo etiam tempore Otto de Leina dux
 Transsylvanus, cum Gottingensibus non benè consensit.
 Cumq; ciues non cederent vel poscenti, vel pricipienti:
 ille obsidione urbem cinxit, magis fame quam armis spe-
 rans expugnare munitum oppidum. Firmavit foris op-
 portuno loco presidium, quo insolentiam, vt ille dicebat,
 cinium edomaret. Diu dissimulauêre ciues, timorem
 ostentantes. Vbi iam in contemptum adducti videban-
 tur, erupêre: & paratis ad eam molitionem rebus ne-
 cessarijs, nouam arcem fundo verterunt, equâruntq; so-
 lo. Tum res in colloquia cœpit conijci, & aquis conditio-
 nibus illi suo principi cedentes paruerunt.